

/ Ill/me atque amplissime Cardinalis

Rex christianissimus ante biennium Deo instigante severe sanxit, ut ne quis ad ullum beneficium, seu titolare, seu commendae cuiuscumque modi sit, convolet ante eam, quae per Canones praescribitur, ac per concordata confirmatur aetatem annorum circiter 23. quod ex abusu contrario clare innotuit irrepsisse in Galliam praecipue, quaeque in hoc toto genere scandala, atque adeo heresum propugnationem. Placuit vehementer omnibus tale edictum multo maxime postquam apparuit, ex praxi talem esse optimi Principis constantemque voluntatem, et accessit authentica a S/ta Sede approbatio per Apostolicum Nuncium, qui in eam sententiam gratulatorium breve ante annum fere sacrae M/ti Quamvis autem multorum mihi procerum invidiam conciliaverim, quod praecipue omnes auctorem me istius legis esse crediderint, senserintque eundem me esse propagatorem acerrimum, sensim tamen coeperat usu ipso res corroborari et abire in consuetudinem. Verum ut tam sanctum propositum eluderetur, quaesita est per Curiam Romanam via illegitima, cum nuper proxime unus ex proceribus Galliae, cui ego spem omnem intercluseram obtinendae nominationis, quando filius eius, cui abbatiam opimam postulabat, vix octavum annum superasset, ut difficultati occurreret dispensatione quaesivit, habuitque circa aetatem à S.P. rogatu legati, qui quidem non Regis, sed suo nomine pro amico interpellavit. Is ergo praetendens sibi depactam dispensationem, nunc apud Regem ipsum urget pro nominatione, nec ullam esse excusationis causam retur, quominus sibi ea quam exigit, gratia conferatur. Rex christianissimus divini juris et legum suarum tenacissimus, mihi demandavit rem totam, ut cum Ill/mis Card/libus Rupefocaldio et de Retz eam examinarem iuxta conscientiae regulas. Nobis ergo visum est cavenda extrema duo: alterum est oppositio circa dispensationem, quasi ea nulla sit, quia sine causa data data, id enim schismaticis faveret; alterum violatio legis regiae,

/ imo canonicae cum scandalo, hoc est, sequela mala et exemplo prae-
tendo. Fiet enim via aliis, nec locus negandi erit. Itaque
mediam viam tenendam existimavimus, hoc est, admonendum esse eum,
qui postulat pro filio et potens est satis, nobis nondum apparere
5 de formula dispensationis deque veritate informationis atque ob
id scripturum me rem totam ad Ill/mam Amplitudinem V., ut à S/ta
S. intelligat motivum eius, et rei totius progressum, ne frustra
ipse (qui alioquin pius est) de Pontificia dispensatione glorie-
tur, quem aeterna ligatum teneat sententia.

10 Duabus praeterea de rebus, quae ad idem pertinent, expectabo,
si placet, responsum. P°. An spectatis omnibus, quae supradicta
sunt, nec à nobis intellecta ulla dispensandi causa legitima, ali-
qua sit via isti postulanti recte et sine periculo satisfaciendi;
posseque Rex tuto nominare filium ad duas illas Abbatias ex nunc,
15 quantumvis pater promittat non abusurum se ad quidquam profanum,
concessis fructibus qui inde proveniunt. 2°. An deinceps non ex-
pediat, S. Pontificem rigide constanterque recusare omnem omnino
dispensationem, nisi gravis quaedam et inusitata causa subsit, ne
haec passim omnes garriant, et querantur minime fieri Romae talem
20 rigorem, laxa esse et venalia omnia, et nulla fere ex causa dis-
pensari passim, nosque adeo hic velle videri magis Catones. Haec
de beneficiis.

Alterum caput earum litterarum est, Episcopus Aurelianensis,
nobis sine causa infensus, redigere vult in ordinem privilegiatos
25 circa administrationem sacramentorum; nuper in Pentecoste inter-
dixit per curatos omnibus suis diocesanis, ne eos adirent pro con-
fessione tota octava sine facultate expressa Episcopi aut Parochi,
ex quo ingens scandalum natum est, quod et Aureliani durat, et
alibi inflammatur, usque ad veram et periculosam factionem schis-
30 maticorum. Nisi ergo ei rei occurratur, non dubitamus quin brevi
hoc incendium totam Galliam pervadat, et non sine luctu omnia
nostra munia interturbentur. Placeat Ill/mae A.V/ae et S/mum P.P.

/ de re tota commonere, et consilium nobis super ea re dare, et regulas transcribere, quas sequemur consulto R.P.N.Generali. Hoc enim unum nobis curae est, ut S/mi Patris mandatis obsequamur, et Instituti nostri privilegiis fruamur; nec dubium est, quin nisi in
5 hac re tota S.S/tas nos protegat, magnus futurus sit adversus Societatem tumultus pro confessionibus, quantumvis Rex christianis favet veritati, et totam adversariorum factionem exosam habeat.

10 Quod superest ego A.V.Ill/mae benedictionem humillime in genua provolutus peto, meque eius precibus e more commendo. Datum Turo-
nis 19 sept.1619.

Humill/s in X/ et obseq/mus filius

J.Arnulphus servus.

Ill/mo Cardinali Bellarmino.

Arch.Vatic. Borgh.II,32 f.493. Orig.